



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli Scribani[i] Amor Divinvs

Scribanius, Carolus

Mogvntiæ, 1616

Cap. XIII. Colloquium amantis animæ secundum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46242)

gnata; succedēt audaci conatu oscu-
la lateri tuo infigenda, imbre purpu-
reo tuo oculorumq; meorum flumi-
ne madidata? dulcis sermocinatio, &
qualem æternū optē animæ meæ.
Concede hanc mihi amor meus, &
concede æternū.

CAP. XIII.

*Colloquium amanti animæ se-
cundum.*

Veni dilecte mi, veni de Libano, & osten-
de mihi faciem tuam. Sonet vox tua in
auribus meis. Vox n. tua dulcis, & facies tua
decora nimis, oleum effusum nomen tuum.
Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Ideo de-
sertis patrib. & matribus, opibusq; deliciisq;
seculiq; honoribus cucurrerunt in odorem
vnguentorum tuorum. *Botrus Cypri dilectus
meus* de vineis primogenituræ meæ. Ideo
cellæ assimilavi te, dilecte mi, & orcularibus
musto plenis. Vbera tua fragantia vnguentis
optimis, felix qui commorabitur in illis de-
litiis affluens, innixus super dilectum suum.

Can. 1. *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus
meus inter filios. Quis colliget mihi poma et
pascet illis, & dicam dilecto, fauus distillans
fructus tui super mel & fauum. Surrexi &
circuiui ciuitatem, per vicos & plateas quæ-*
sui

AMOR DIVINVS 599

fui quem diligit anima mea. Quæsiui & non
 inueni. Quæsiui nocte, & ecce caput meum
 rore plenum, & cincinnati mei guttis nocti
 u. Etiam mado torus. Quis excutiet hunc ro-
 rem inimicum tibi, & irrorabit me nouo ro-
 re aurore tuæ? quis dispellet has tenebrarum
 guttas, & perluet me guttis nouis vineæ
 tuæ, vineæ florentis, vineæ dilectæ ex milli-
 bus? Verum quamdiu quæram & non inue-
 niam te? quamdiu vocabo & non responde-
 bis mihi? ô vos qui transitis, non vidistis a-
 morem meum? qualis est dilectæ, amor tuus?
 amor meus candidus & rubicundus, & ma-
 cula non est in eo. Caput eius aurum opti-
 mum, comæ illius sicut elatæ palmarum, o-
 culi sicut columbæ super riuulos aquarum,
 genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ
 à pigmentarijs, labia eius lilia distillantia
 myrrham primam, guttur eius sicut vinum
 optimum dignissimum ad potandum; col-
 lum eius sicut monilia fabricata manu arti-
 ficis; manus illius tornatiles aureæ, plenæ
 hyacinthis. Talis est dilectus meus, amor
 meus, electus ex millibus. Vos nunc dicite
 mihi, num quem diligit anima mea videri-
 tis. Paulum cum pertransissem eos, inue-
 ni quem diligit anima mea. Tenui eum
 nec dimittam donec introducam in do-
 mum meam, in intima cordis mei. Ibi ten-
 toria fixi tibi, dilectæ mi, ibi paravi tibi le-
 ctum,

ctum,

600 CAROLI SCRIBANI

ctum, amor meus, lectum floridum stipa-
rum corollis vernantis auroræ, casti lectum
pectoris.

Egredimini hic quotquot amatis amorem
meum, dilectum meum, sponsum meum: &
videte illum in diademate, quo coronauit il-
lum in die desponsationis illius in die lætitię
cordis mei. Fulcite me floribus, stipate me
malis, quia amore languedo. Quid agis, quia
dilectus tuus dormit? ipse dormit, sed cor il-
lius vigilat, & insonuit iam vox illius cordi
meo, dilecta mea, soror mea, sponsa mea ve-
ni, ecce coronaberis. Ecce venio dilecte ro-
torum meorum. Quam pulcher es dilecte
mi. Oculi tui sicut speculum sine macula,
genę tuę sicut fragmē mali punici, sicut vit-
ta coccinea labia tua. Pulcher es amor meus,
pulcher vt luna, electus vt Sol. Ego me tibi,
& tu te mihi amor meus. Quis me separabit

Rom. 8. à te? Tribulatio? an angustia? an fames? an
nuditas? an periculum? an persecutio? an gla-
dius? liceat hic mihi vouere cum forti illo al-
fessore tuo, Neq; mors, neq; vita, neq; angeli,
neq; Principatus, neq; virtutes, neq; instan-
tia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo,
neq; profundum, neq; creatura alia separabit
nos à charitate Dei, quę est in Christo Iesu
Domino nostro.